



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 37. Ludovici XI. bellum in Britannia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1468. territus, jus suum persequi statuit, ac reapse hostilem exercitum diuturno bello fatigasset; nisi morbo correptus Anno Salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo mortalitatem exuisset, ejus tamen obitu nullatenus conjuratio sedata fuit.

§. XXXVII.

Ludovici XI. bellum in Britannia.

*Argent.
hisi. Britan.*

Chantocé.

Cum Burgundiæ Dux belli flammas adversus Leodienses intra breve admodum tempus restingueret, Ludovicus Galliarum Rex rursus in solitis fraudibus suis consilium quærere compellebatur; hanc in rem inter Carolum Bituricensem fratrem suum, & Britanniae Ducem dissidia feminare moliebatur. Igitur suas copias, quas in Normannia tenebat, Britanniam invadere jubet, urbesque Cantoceam, & Angenisium capit, ac demum hostilem hanc incursionem sequenti obtentu honestare conatur: Britanniae Dux connubio sibi junctam habebat Regis Scotiæ Filiam; Hæc tamen inconstantem mariti sui animum sibi soli integre devincire haud poterat; quapropter Dux furtivo amore Antoniam de Mailleze Villequerii conjugem deperibat. Eo tempore Taneguyus Castellius supremum Ducalis Palatii Magistrum agebat, hacque ex causa dignitatis suæ auctoritati datum esse existi-

existimabat, ut ea, quæ fidelem decet Sæcul. XV.
 subditum, submissione Duci suo ob ocu- A.C. 1468.
 los poneret mala prorsus funesta, quæ
 ex effræni hac vitæ licentia sibi accerse-
 ret, simulque addidit, jam populum de
 publico Principis sui adulterio palam con-
 queri, Deum vero hujus criminis ulto-
 rem jamjam pœnas repetere; cum eum
 prole mascula destituisset, non sine ma-
 ximo patriæ detrimento; inde enim fu-
 turum, ut illius subditi, cum præter eum
 in Britannia nullus e stirpe sua hæres su-
 perstes esset, ipso defuncto exteri Princi-
 pis imperio subesse compellerentur, cum
 tamen Britonnes illo abhinc tempore,
 quo Romanorum jugum excusserant,
 semper indigenis Principibus paruis-
 sent.

§. XXXVIII.

*Taneguius Castellius a Galliarum Re-
 ge sollicitatus, ac relicta Britannia
 in Franciam profugus.*

Hæc Taneguii libertas tantopere Du-
 cem offendit, ut eum ad Castellum
 suum secedere juberet. Equidem Ville-
 querii conjux nil intentatum relinquebat,
 ut eidem redeundi facultatem a Duce
 obtineret; timebat enim, ne obscæni
 sui amores palam fierent. Ast Tane-
 guyus flecti nescius redire recusat: Lu-
 dovicus vero Galliarum Rex, cum nihil
 T 4 sole-